Philosophia 833

Przewoski Francisci: Quaestio logica de ente rationis.

A. M. D. G.

QUÆSTIO LOGICA DE ENTE RATIONIS,

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

MAGNIFICI, PERILLUSTRIS, ET ADMODUM REVERENDI DOMINI,

ANDREÆ KUCHARSKI,

Sac: Theologiæ Doctoris & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici, Collegiatæ Sanctorum Omnium

PRÆPOSITI,

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS GENERALIS RECTORIS,



A

M. FRANCISCO PRZEWOSKI,

PHILOSOPHIÆ DOCTORE,

Publicè ad disputandum proposita.

In Peraugusto D.D. THEOLOGORUM Lectorio.

Anno Salutis, M. DC. LXIII. Die 27. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ,

Apud ALBERTUM SIEKIELOWIC, S. R. M. Typogr.

QVÆSTIO LOGICA.

V. Ens rationis in Entitate Metaphorica ex obiecto cognito resultante, ratione cuius intrinsece denominatur, formaliter consistens, per Actum comparatiuum solius Intellectus nostri formatum: cognoscatur per propriam Speciem impressam & expressam; nec ne?

CONCLVSIO I.

Ens rationis formaliter consistit in Entitate Metaphorica, quæ resultat in obiecto cognito, ratione cuius intrinsecè denominatur.

COROLLARIA.

I. Ideò non est purum nihil, sed Entitas quædam media inter Entitatem realem & purum nihil, habens esse solùm obiectiuè in Intellectu cum fundamento in re.

II. Differt ab Entibus rationis fictis, & ab Entibus Rationis Grammaticis, & Rhetoricis.

III. Licet fingi necessariò conueniat Enti rationis: non est tamen illi essentiale, sed accidentarium.

IV. Errant qui Enti rationis existentiam formalem independenter ab Intellectu concedunt.

V. Nulla denominatio extrinseca est Ens rationis: proinde nec Ens rationis consistit in illa.

CONCLVSIO II.

Sola Potentia Intellectiua humana potest formare Entia rationis.

COROLLARIA.

I. Nulla Potentia sensitiua tam exterior, quam interior, sufficiens est ad formandum Ens rationis.

II. Licet Ens rationis non possit formari à phantasia, alijsque sensibus interioribus formaliter; benè tamen materialiter.

III. Voluntas nequit fabricare Ens rationis.

IV. Deus licet cognoscat Entia Rationis ab intellectu nostro facta; illa tamen formare non potest.

V. Intellectus Angeli non facit Entia rationis.

CONCLVSIO III.

Per Actum comparatiuum Intellectus nostri formatur Ens rationis.

COROLLARIA.

I. Omnis cognitio quæ cum connotatione & ordine ad aliud concipit, potest formare Ens rationis.

II. Per quamlibet operationem Intellectûs potest fieri Ens rationis.

III. Ens rationis est proprietas conueniens ipsis rebus ex esse quod habent in Intellectu; Cuius totum esse est ad aliud se habere.

IV. Ens rationis optimè dicitur Relatio rationis.

V. Cognitio formans Ens rationis non est reflexa respiciens ipsum tanquam rem cognitam vt Quod.

C O N C L V S I O IV.

Ens rationis non habet propriam ſpeciem impreſſam per quam cognoſcatur; benè tamen expreſſam.

C O R O L L A R I A.

I. Ens rationis cognoſcitur per ſpeciem impreſſam Entis realis.

II. Vna ſpecies impreſſa poteſt repræſentare duo, Vnum quidem primariò, aliud ſecundariò.

III. Dato quod intellectus poſsit elicere ex Specie impreſſa Entis realis aliam Speciem repræſentatiuam entis rationis; illa tamen ſemper dependet à Specie impreſſa Entis realis.

IV. Nullum Ens rationis exiſtit formaliter niſi dum actualiter terminat cognitionem intellectus illud ad modum Entis realis, cognoſcentis.

V. Intellectus poteſt attingere Ens rationis directè & immediatè tanquam obiectum vt Quod.





Permiſſu Magnifici Domini Rectoris.